DISPUTATIO INAUGURALIS,

DE

NOVA DOCTRINA PHRENOLOGICA.

DISPUTATIO INAUGURALIS,

DE

NOVA DOCTRINA PHRENOLOGICA:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS TURNER,

ANGLUS;

COLL. REG. CHIR. LOND. SOC.

EX PERMISS. SOCIET. APOTHECAR. LONDIN.

SOCIET. PHYS. NOSOC. GUY. SOC.

ET

SOCIET. PHYS. EDIN. SOCIUS EXTRAORD.

NECNON

PRÆSES ANNUUS.

Quis leget haec ?—nemo, hercule, nemo!

PERS. Sat. 1.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

1822.

JACOBO DOW, M. D.

ARTE APOLLINARI, NON MINUS

QUAM

LITERIS ELEGANTIORIBUS, ET MORUM COMITATE,

INSIGNI;

CUJUS PRECEPTIS,

PRIMA RUDIMENTA SCIENTIAE MEDICAE

EDIDICIT,

PRO MULTIS BENEFICIIS,

HOC TENTAMEN

ANIMI GRATI

TESTIMONIUM EXIGUUM, SED SINCERUM,

LUBENTISSIME OFFERT,

AUCTOR.

FRATRI DILECTO

CAROLO TURNER, Armigero,

AUCTOR.

S. P. D.

Qualia praesidia sunt, animi diligentia et fortitudo, etiam ingeniis praeditissimis, ne misere splendidis exciderent ausis, et quantum excellentiae tardioribus promittit labor, nemo te melius scit ;—quum tibi ingenium est, quo praestantius, perpaucis largita est naturae munificentia. Ut Diu intorsis decus amicis, ut semper frueris praemiis virtutis et honoris legitimae, pius precor, et pro omni tua benignitate in me, hoc pignus et monimentum amoris mutui, ut accipias.—Vale.

DISPUTATIO INAUGURALE

DE

NOVA DOCTRINA PHRENOLOGICA.

AUCTORE GEORGIO TURNER.

QUAMVIS homines solertissimi summis viribus conati sunt officia patefacere quibus perfungitur cerebrum, omnibus aevis ad hoc fere tempus, vix aliquid certum de vera eorum natura intelligitur. Anatomici, equidem, èdocuerunt omnes partes summa cura et consilio constitutas, nec licet dubitare si modo rationem ejus fabricae nobis patefaceret experientia, quin has haud aliter ac ceteras in corpore ubique perspiciamus, ad proprios usus pulchre accomodatas. Hodie cerebrum esse organum per quod sentimus, cogitamus, et agimus, expertum est, sed hoc non fuit ignotum primis medicinam facien-

tibus, nec hodierni notitiae hujus rei tanta incrementa attulerunt, ut liceat sibi de hac re multa jactari. Societas arctissima menti et corpori intercedit, sic ut injuria uno excepta, alteram mutua afficit, sed hujus vinculi quis mirabilis est modus, quo pacto mens divina agit imperia in genus nervosum, quae sedes et natura, et quid subtile per nervos missum vitae munera gignit, et sustentat, licet nuper acrius disputatum aeque latuit hodiernis ae veterioribus, et fortasse semper latiturum.

Plures scientiae eximiis fructibus excultae, subministrando artibus et deliciis vitae, omnium attentionem arripuerunt, et sibi et cultoribus summam laudem et gloriam attulerunt. Dum interea mentis humani philosophia, uti fuit officium, adeo non aliis scientiis lucem praebuit, ut ipsa in tenebris versata adhuc incerto pede incessit, nec in futuro quid utile promittit. Post tam ingenia hac re fatigata, nostrae facultates haud numero auctae sunt, et vix leges quas ser-

vant melius hodie ac olim perspectae fuerunt, nec desunt, qui nulla illustria incrementarem capturam esse ex studio philosophorum putant, donec contemplatio naturae mentis, simul cum cognitione structurae ipsius cerebri, non consociatur. Quum tanta obscuritas undique premit rem, oportet omnia benigniter excipere, et fovere, si fortasse aliquid iis insit veri. Igitur hac dissertatione statui, breviter memorare imprimis opiniones quas nuperrime Doctores Gallus et Spurzheimus, de usu cerebri protulerunt, quorum rumor ad nullas aures non delatus est, et postea quae iis contra objiciantur.

Praetermissis, igitur, omnibus quaestionibus de natura intima mentis, et modo ejus agendi in cerebrum, quasi minus spectantia ad rem, illi pro comperto habent omnes animi facultates ad caput pertinere, et eo extrinsecus certis eminentiis indicari. Hoc, primum casu fortuito sibi objectum, nunc dicunt comprobatum esse, observatione diu et saepe reiterata.

Praeterea affirmant, facultates animi esse omnibus insitas, et nulla occasione nactas. Non recusant doctrinam et cultum multum conferre ad has dotes augendas ubi adsint, sed eas existere, prius oportere quam ulla exercitatio homines efficeret adeo dispares, muneribus ingenii et intellectus, contendunt. Inter causas ex quibus ut aliqui suadent humanum ingenium paulatim extruitur, vel ad certa studia prae aliis allicitur, fortasse, plus justo concessum fuit imperio coeli, diaetae, vel aetati ineunti, dum adhuc mens tenera et mollis facile accepisset, et factas impressiones diu retinuisset. Tamen hoc manifestum, nos saepe videre pueros,—iisdem parentibus natos,—quod ad culturam mentis et corporis omnibus aequaliter gaudentes, nihilo secius, post aliquot tempus adeo dissidentes inter se, ut dissimilitudinem, nisi ad ingenia et indoles natura ab origine diversa, vix fuisset cui satis certe referre potuissemus. Quo magis certiores simus de eadem re, G. et S. multa narrant de moribus quorundam animalium sibi, et aliis

saepe observata. Si eorum habitus, sine impulsu interno ex solo usu et cultura proveniunt, quaerunt, cur aves alienis incubati, haud tamen minus postea ac si res non fuisset, mores suorum parentum observant. Canis venaticus, cum socii semper occupati caminum nullum locum prope sibi reliquerunt consuevit foras egredi, et latrare, continuo omnes occurrunt sibi sonitu excitati, quo facto, facile votum sibi confecit. Sed licet hoc dolo saepe decepti, nunquam reliqui fallaciam vicissim adhibuerunt.

Attamen non defuerunt viri magni nominis qui rati sunt mentem aeque valere in omnibus negotiis, modo permaneat strenua et tenax propositi, et praeterea, homines plurimos qui aliis praenituerunt arte ulla vel studio, ad initium, ejus amore non tam captos fuisse, quam quodam casu fortuito aut motu crediderunt adductos. Sed hoc est evitare potius quam rem solvere. Enim intellectu difficile est, qua ratione, hic potius quam alter motus fortuitus, insignes effectus

edere potest, ni animum accipere natura disposuit; non aliter ac quaevis materia ustioni apta, scintilla objecta, facile accenditur. Nec minus in obscuro est, si omnia valerent externa et nil interna, quare, mente aequaliter ad omnia se gerente, una impressio tanta vi polleret in mente mutanda, et ceterae, omnes per decursum vitae pro nihilo aestimarentur; et profecto nemini latet, inculta ingenia quorundam hominum, aliis instructis omni studiorum disciplina haud raro antecellunt.

Omnes facultates ex cerebro pendere, satis manifestum esse ex sequentibus dicunt. Si hoc vehementer comprimatur, abolentur sensus et memoria, quinetiam suadent nos omnes esse conscios ex cerebro cogitare, et tantum commercium cum mente habere, ut si illud mole praestet, dotes eximias hujus semper esse expectandas. Infantibus, naturam cerebri teneram esse et mollem, quapropter ideas paucas, inchoatas esse, et mentem fere nullam. Dum in senibus qui-

bus moles parva, et materia rigida est, robur et vigorem animi maxime languescere. Proinde et leges mentis et cerebri sic constitutas esse, ut injuria uno ne quidem inferri potest, quin serius ocyus hanc sentiret alter. Quibus varii auctores narraverunt de vulneribus cerebro inflictis, sed sine laesione facultatum, etiam cum pars substantiae amissa fuit, fidem adhibendam esse negant, utpote tunc temporis, omnibus ignoti fuerunt et numerus et situs organorum; et hydrocephalicis, quibus omnes facultates illaesae, structuram cerebri incolumem esse notant, sed ex tenuitate plus spatii occupare. His praemissis, proxime quaerunt, an hae facultates ex toto substantia cerebri, vel parte singulis propria exerceantur.

Fere omnibus philosophis qui hunc rem excogitaverunt, persuasum est, mentem agitare imperium ex loco sibi proprio, cui nomen inditum sensorium commune, et ex hac quasi arce instar regis, ad ceterum corpus sua mandata perferre. Sed haud con-

ventum est inter se, ubi hoc locari debet. Hinc, quot varii auctores de hac re scripserunt, tot diversis partibus cerebri posuerunt, in glandula pineali, medulla oblongata, ponte varolii, et multis aliis quos hic taedet meminisse. Errores tantorum hominum satis docent quantum inane est in studiis hujuscemodi, et quam parum naturam mentis patefaceret, si cognitum fuisset residere in parte circumscripta cerebri. Ex altera parte, nostri auctores persuadent sibi ex anatomia, et sequentibus argumentis, totam ejus massam eodem tempore non versari in officiis tam variis exercendis. Nusquam in corpore eandem partem pluribus inservire usibus. Sensus externos habere instrumenta, pro natura eorum et usu admodum diversa, nec alterum vice alterius perfungi. Jecur non urinam, nec renes bilem secernere: sicuti partes cerebri humani numero majores sunt quam aliorum animalium, ita dotes animi praestantiores esse. Quidam poetas esse, alios pictores, maximae famae nescios laboris, et quodam quasi numi-

ne afflatos, dum alios summis viribus assidue incumbere videmus, nec evehere se ultra mediocritatem. Cum taedet nos sermonis jejunae diu productae, non minus postea delectari sonis musicis. In somniis etiam, quo tempore aliquae facultates conquiescunt, caeteras acutiores fieri, hinc nos iis temporibus praeditos quasi mente capaciore, vi et copia insolita cogitare et loqui. Denique, non novam esse opinionem, cerebrum constare ex plurimis organis consitis, sic credidisse homines celeberrimos, inter quos, Boerhaavius, Haller, Prochasker et alii multi recenseantur. Naturam haec organa omnibus dedisse, sed quibusdam valde conspicua, nec quo magis molem eorum, eo magis vim accrescere, absurdum esse existimant. Nam aiunt, omnia anim aliaquae habent nervos grandiores alicui sensu distributos, iis plerumque illam sensum maxime acutum esse, quod satis liquet ex canibus et aliis animalibus praedatoriis, quibus ossa narium valde convoluta, latam superficiem praebent nervis. Jecur magnum quoque plus secer-

nere quam exiguum, quemadmodum magnes ampla, vi majore attrahendi, parvo praepollet.

Observatio multa et saepe iterata necessaria fuit ut situs, magnitudo, figura, et numerus organorum recte statuerentur, et Doctor G. summo labore omnia agitavit quae rei alicui auxilio afforent. Ubique terrarum exquisivit homines aliqua arte aut facultate insignes, capita inspexit, et si quid dignum memoriae fuisset, simulacris factis conservavit, necnon carceres adiit, et craniis multorum sibi consultis mores et crimina feliciter praedixit. Quaedam indicia animalia bruta praebuerunt sibi, et nullum organum satis excogitatum, aut pro comperto habuit, nisi ex omni diversitate loci et conditionis confirmatum. Omnino alienum foret meo proposito, speciatim memorare, omnes facultates aut modum quo detectae fuerunt, nec lubet respicere, quantum fructus artes et scientiae suscepturae sunt hac nova philosophia priusquam de ejus veritate certi sumus,

igitur nunc restat, pauca quae his splendidis opinionibus adversantur, ut proferrem.

Imprimis objici potest verum exquirere per analogiam, râro quid utile promittit certioribus scientiis, sed longe aberrat vero qui aliquid sumit exploratum ejus ope de natura cerebri. Similitudines quas vident cerebrum inter et sensus, me judice, fictae sunt et contra naturam. Auris sonis, oculusque luce afficitur, non ex nervis solis in has partes distributis, enim, organum proprium et diversum singulis sensibus nil minus est necessarium. At contra cerebrum si conspiciamus, undique exhibet se oculis ejusdem speciei, et partes quae, ut quidam volunt, incitant ad pugnam aut fugam, quae gignere prolem aut jugulare urgent, nullo discrimine mutuo sibi referunt. Ex iis argumentis constat, non haec varia organa adeo comperta habere experientia, ut qui non putaverunt rem aliis auxiliis egere.

Nec magis dicerem sensus internos aeque

ae externos, propriis organis accommodari, quia mens sermone longo aut alia re molesta defatigata, studiis contrariis reficitur. Nam res aliis rationibus satis feliciter cedit. Non, cui bona fortunae perpetuo affluunt rivo, nomen beati rectius occupat ac ille, qui in variis versatus, modo res adversae, modo prosperae sibi alternantur. Tanta pars jucunditatis est varietas. Singulique sensus formantur accipere dolorem, aut voluptatem, variis fontibus; hinc undique mira diversitas rerum summo opifice provisa, ut omnes proprio gaudio expleantur. Quidam soni musici tardant et reprimunt omnes animi motus et corporis, et nescio qua languore et inertia afficiunt—alii concitatiores, vix post cohibendos reddunt, et mentibus anxiis spem reducunt. Porro sonos qualescunque, quibus excitamur ad furorem, vel amore solvimur, omnes excipit unicum auditus organum. Praeterea, etsi aditus innumeri patent voluptatum per oculum studiosis operum naturae, omnes variae species rerum quotquot sint, una depinguntur re-

tina. Nec ventriculus differt pro ut varia alimenta ingerantur, sed unus omnia recipit et concoquit. Nonne fas igitur nobis dicere, his exemplis inductis, cerebrum universum esse organum omnium facultatum? Minime sane; haec merae sunt nugae, et conjecturae omnes aequales sunt ubi de re incognita proferuntur.

Quod ad vim animi attinet, quam pariter ac vis magnetis, aut glandulae secernentis, indicari volunt ex ipsa mole, si secum putemus, nil magis absimile vero est, quam ut subtiles, et eximiae dotes ingenii, solam rationem ejus massae observare, vix hoc satis comprobatum aliis animalibus, et inter homines adeo non semper est, ut abiit, in proverbio, "Great head, little wit." Differentias observandas in hominum ingenio nemo denegat, sed dubium est an hae referendae organis iis propriis vel satius actioni mutatae cerebri totius, quod, me judice, magis affine est aliis exemplis in humano corpore.

Sed quaestio nunc proxime magni momenti se offert, an caput externum accurate exhibet formas cerebri, et easdem rationes incrementi observat, sic ut semper index verus ejus figurae habeatur. Lex est physiologiae et nullis anatomicis non persuasa, omnes partes duras, pressu et motu molliorum accipere formas; hinc prominentiae illae ossium, quae diu sustinuerunt compressionem musculorum fortiorum. Exempla hujusmodi, nusquam corpore humano non conspiciuntur, sed praesertim pulchra sunt in tigride, ursa, et aliis praedatoriis animalibus. Huic legi confisus, celeberrimus CUVIERUS nuper Scientae Historiae Naturalis splendida incrementa attulit, enim ossibus perspectis solummodo animalium hodie incognitorum, feliciter ostendit quam aetatem, indolem, et mores olim habuerunt, et quem locum in systemati LINNAEO sibi vindicârunt. Licet omnes partes corporis hac conditione crescere assentimus, sunt quaedam tamen propria capiti, nuper

mihi tradita memoriae dignissima, quae ferme faciunt ut crederem scrutationem ejus formae externae nil unquam apportaturum esse certum, de statu cerebri, aut facultatum ex eo pendentium.

Inter viginti capita undique collecta, vix duo congruunt sibi omnibus partibus; cum transverse secantur unum latus saepe contortius altero apparet, et fere nulla pars ejus circuli simili parti oppositae respondet, dum alia sunt variae crassitudinis. Tale caput proculdubio manu exploratum, mentiret falsis dotibus ingenii. Quod si aliqua vera organa adessent, hac tanta obscuritate vix cognosci potuissent. Praeterea, bene notum est omnibus his rebus versatis, superficiem internam calvarii saepe eminere, aut deprimi, sine quovis rei vestigio extrinsecus conspiciendo. Sed praeter omnia, sinus frontales omnino prohibent ne organa hac regione posita aliquid credendum de cerebro indicarent.

Doctores G. et SPURZEIMUS, haud ignari quantum hoc adversatum est suis opinionibus, negant se unquam vidisse hos sinus, nisi in insanis aut provectioribus aetate. Huic eodem opinioni accedit Dominus COMBE, qui hanc novam doctrinam nuper libro eleganter scripto defendit, in quo etiam citat ex epistola cujusdam sibi noti *Parisio,* similem sententiam, scilicet, post magnum laborem rei impensum, exceptis maniacis, nunquam se didicisse sinus frontales existere. Dr MONRO e contra affirmat se vix meminisse caput cui defuerunt, modo non fuit infantis, et valde lubet mihi huic assentire quum magis observationi meo convenit.* Quod si, ut quibusdam placet, hi sinus non inveniuntur nisi in quodam morbo implici-

---

* Dr SPURZEIMUS olim affirmavit se post sectionem cranii in Theatro-Anatomico hujus scholae non invenire sinus frontales. Cujus ratio satis evidens secundum Doctorem MONRO, nam nimis alta incisio facta est.—*Audi Prelection. Anatomicas, D. Monro.*

certa ejus signa, quae moneant ne ob falsa praesagia omnibus ludibrio habeamur. Sin minus, vita adhuc superstite, nulla signa morbida exstiterint, (et non morbum constat esse) manet hic fons perpetuus erroris omnia vitians, et quoniam haec cava aliquando late extendunt per alia ossa capitis, nemo studiosus doctrinae scire potuisset, quo usque adhiberet fidem.

Sed auctores nostri, quamvis submittunt rem agitare disputatione, argumentis solis se obstrictos esse nolunt. Nostrae opiniones, inquiunt, haud tantis carent auxiliis. Parum interest nobis quid unus vult sibi, aut alter fingit, experientia nobis docuit quae non aliis eodem studio et labore recusabit, nec dubium quod aliquis, periculo facto, invenerit naturam non minus in his quam aliis legibus, semper mirabilem et sibi constantem, modo affectus et dotes animi externis eorum indiciis recte comparentur. tis, nil refert hoc scire, nisi semper adsint

Nil facilius quam hoc nobis praescribere est, sed si quis secum cogitet, quot organa in exiguo spatio conferta, rem magnis difficultatibus circumventam esse confitebitur, et dubito an tyrocinium peractum in tali negotio satis educaret tactum. Sed non solum tyronibus est locus errori, enim usitatissimos in hac scientia, an cuidam organum amplum, aut nullum adesset, vidi nonnullos acriter disputare. Ni fallor, haec obscuritas haud leve tutamen et praesidium praebuit huic philosophiae, cui si nulla fuisset, jamdudum plerisque memoriis hominum, ut nunc fide, excidisset.

Sed inter homines qui conati sunt rem sua experientia probare, variae sententiae prolatae fuerunt. Accepi ex medico se videre caput cujusdam musici sibi noti et artis scientissimi, cui proprium organum abfuit, quod nullo modo fieri oportuit, et eo magis, quia hoc uno studio omnino deditus fuit. Dr ROGET quo nemo impensius operam dedit ut pro-

be intelligat rem ita dicit.* Alii cultores nullum contrectant caput sine nova confirmatione doctrinae. Quomodo conciliantur haec opiniones adeo inter se diversae. Facile est, prout fidem adhibeamus, eaquae velimus aspicere. Pro mihi valde suspicor istis divinatoribus famae futurae, mores non minus ac capita hominum cognita esse, et hinc tulisse haud leve auxilium auguriis, instar uromantum, qui nil statuunt certum de natura et eventu morbi, priusquam ex amicis aegrotantis ejus signa et historiam furtim acceperunt. Fortasse ex eadem origine tanta auctoritas huic doctrinae ex parentibus nuper orta est, et equidem, non

---

* As far as I have myself had an opportunity of comparing the results they pretend to have obtained with my own experience, I cannot say that I have found them in any degree verified. I at one time took considerable pains on this subject to make observations, and am persuaded that I met in the course of them nearly as many exceptions to the rules as instances in confirmation of them. One thing I was fully convinced of, viz. the great difficulty of conducting investigations of this nature.—*Vide Epistolam ad Dom. Combe.*

miror patres diu perculsos ingeniis filiorum, facile eorum capitibus omnia ad vota invenire.

Sed quoniam tanta et sola fiducia ponitur his auctoribus in rebus sibi observatis, pretium est operae quaerere, ex qua cura et consilio observationes factae sunt. Motus omnes corporis eo semper tendere, aiunt, quo organa cuique propria impellunt, hinc homines superbi semper erecti et capite perrecto incedunt, quia causa hujus motus in summo vertice haeret. *Religiosi* non tendunt lumina ad coelum quia ibi habitat Deus, sed propter organum *venerationis* parte superiori capitis situm. *Facultatis amatoria* primum detecta fuit a D. GALL, in muliere quodam epilepsia laboranti. Ingruente paroxysmo, semper retro lapsa est. Cum quondam jam casam sustinuit, manu admota infra occiput, hanc partem amplioremet solito calidiorem sensit, ideoque hac parte posuit organum. Timidi scalpunt caput ut ex eo fortitudinem sibi eliciant; et quum

Sternei imago depicta est cum digito fronti imposito, hunc locum facultatem dare lepida et faceta dicendi, argumentum haud leve ducunt. Nescio quibus exemplis adducti, (nisi quaedam animalia indicia rei praebuerunt) omnes instinctus referunt ad lobos cerebri posteriores; sed oves, simiae, canes, et alia quibus maxima vis instinctus est, prorsus carent his lobis ubi haec maxima esse dicitur, nam partes similes cerebri in hominibus ac brutis, non iisdem cranii partibus respondent.

Sed denique liceat nobis rogare quorsum haec tam splendida tendunt. Si homo secum portat omnes fortunas, et praeter quod in capite sibi natum est, natura nec dedit, nec aliqua cura aut diligentia conferre potuerint, tum plane omni labore defuncti sumus, et extremae dementiae fuisset semper frustra niti, nec aliquid quaerere se fatigando. Quod si hoc persuasum fuit hominibus, omnis amor et studium caeteros praestandi, omnis spes attingendi praemia

jucunda virtutis et laboris extincti forent in pectore, et pro vice, desidia et ignavia inverecunda, totum usurparent hominem. Et profecto, pauci melius hoc norunt uti argumento, quam ii parum cupidine literarum imbuti et laborem respuentes qui aride pro excusatione et causa suae ignorantiae assumunt. Haud equidem denego, quosdam homines poëtas et musicos, alios supereminere arte Apollinari et nulla fere disciplina imitandos. Sed alias facultates sentimus, quales sunt judicium, memoria, vires acquirere et accrescere, haud secus ac corpora nostra, usu et cultura. Omnes primo aditus scientiarum difficiles, et ingrati, donec mens paulatim assuefacta, tandem totis viribus incumbit. Quod fit etiam sub initio studiorum, inter homines celeberrimos. Nec munificentia naturae quibusdam largita est mentem capaciorem, quam alii suo ardore et industria sibi comparârunt, ni labor ipse pars ingenii praeditissimi semper habeatur. Magnopere veneror quod *genium* vocamus, nec dissentirem iis, qui dicunt munus esse a Deo mor-

talibus tributum, credo tamen rariorem esse opinione, et videmur peccare in numen venerandum, quum omne discrimen parvi ingenii ejus beneficio perpetuo adjudicamus. Quantum excellentiae assidua exercitatio promittit, multi clari docent, qui recti se omni operae aequos, et viribus semper in unum impensis, denique famae et laboris monumenta perennia exigerunt. Quinetiam, nulli non consecuti sunt, praeter spem, ea quae vix quondam concessura fuisse ullo labori putaverunt. Nonne mens et corpus hac conditione sociantur ut cum hoc assidua exercitatione flexibilius fit et magis robore indies in crescat, illius usu perpetuo et cultura vires sine limite augeri possint, modo studium et ardor permaneant ?

Quod si NEWTONUS ipse immortalis confessus est, quantum famae ejus perseverantiae debuit, eo magis non oportet nos credere doctrinam et sapientiam invadere invitos, ut imbres lapsi e coelo, sed potius ut multa anxietate et labore esse acquirendos.

Sed haec philosophia ducit ad alias conclusiones non magis vero affines. Etenim si vera sit, non solum persuadet omnes facultates ingenii et intellectus exiguo spatio circumscriptas quas non transire possunt, sed nos omnia agere et moliri ex ineluctabili vi, et virtutes et vitia non voluntate, sed ex quadam necessitate enasci. Quo minus tamen liceat nobis ad haec concilia pervenire, rationem lumen gubernatorem vitae ut grandia organa et sibi inimica semper posse reprimere motus abnormes, contendunt. Sed historia humanae gentis docet, valde adhuc impar praelium sustinere, et quid effectura est contra hoc densum agmen hostium plane nescio. Nonne satis in errorem et vitia adigunt illecebrae ex spe impunitatis, improba consuetudo peccandi, corpus vitio pronum, quin organum praeter haec necessarium est ut in ipsum impellamur crimen? Hostes prudentiae undique numero augentur, enim omnis mala propensio sortita est regnum sibi in cerebro, dum ratio ipsa cui magis fuit opus aliquo praesidio,

nullum auxilium accipit, ni fortasse ex organo, fortuito, coorto sibi amico. An dubitandum est, si aliquis, propter *organum necis* grande in capite, hominem occideret, iisdem suppliciis non meruisse ac ille cui hoc signum lethale prorsus abfuit. Alia persuasio fere cogit male sentire de sapientia summi numinis qua hic mundus gubernatur, et circumdat novis tenebris questionem, an homo sua sponte est, vel ex quavis inevitabili necessitate agit. Longe absit nobis putare, Deum ita ludere fato mortalium, ut aliquid impertiret quod serius ocius certo exitio foret. Potius theologi, quam medici est, prosequi quorsum ultra tendit haec opinio, sed vix ista recta fieri potest, quae tollit omnem spem et laudem virtute, dedecus et infamiam vitio, et totum hominem potius machinam facit, quam animal rationis particeps.

Haec, quantum intellexi, est singularis doctrina, quae, a tempore quo primum promulgata fuit, omnium attentionem arripuit. Quidam equidem inde expectaverunt fructos

maximos, et adhuc putant posituram esse philosophiam mentis humani certis fundamentis, et hanc iis tenebris expurgaturam, quibus tam diu ejus splendor obductus fuit. Medici, fere, soli probe moniti subito ortu et occasu tot opinionum celebrium in sua arte, (quibus vix hodie restat umbra nominis) universo clamori non se addixerunt. Hoc systema, instar plurium, satis feliciter quaedam explicat, neque iisdem tam absimile ut non nimium aggrediendo magnis excidit ausis.

Scientiae physiognomiae, huic affinis, et antiquissimis philosophis excultae, si principia cum hac nova comparata sint, certa et fixa apparent. Nam ubicunque situs est animus, facile est intelligere motus musculorum, quos omnes dirigit, eodem modo saepe iteratas, tandem tribuere posse eam figuram et speciem vultui, quae mentis conditionem et indolem bene exprimeret. Accedit, quod lex naturae generalis videtur, ut species externa naturam internam aliquanto indicaret. Sed post hanc scientiam tot seculorum

experientia auctam,et tantis ingeniis philosophorum, homo sapiens vix aliquid ejus praesagiis credit, ita ut quibusdam persuasum est, nunquam mortalibus daturum est futura praediscere. Sed haec doctrina phrenologica, heri quasi nata et fere enixa observationibus duorum solummodo virorum adhuc nullam occasionem videndi vera an falsa sit praebuit, et post omnia dubia et falsa a veris segregata vix superest, mea opinione, quod non notissimum fuit antiquioribus. Omnes norunt, rationem quodammodo observandam esse inter figuram partes anterioris capitis, et animi facultates, in hominibus ac brutis animalibus; sed praeter hoc, usus singulorum partium cerebri mihi esse in atra caligine adhuc mersae videntur. Ut concluderem cum sententia celeberrimi. Blumenbachii fortasse non multum, absimilis vero. Quum olim saepe rogatus a Doctore Spurzeimo quid sentiret de ejus opinionibus, hoc memorabile responsum dedisse fertur, multa iis inesse vera et multa nova sed vera non nova, et nova non vera se esse putare.

FINIS.